Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30504624

AD

ILLUSTREM ET MAGNIFICUM VIRUM,

DOMINUM

LUCAM SCHROECKIUM,

Med. D. Archiatrum & Comitem Palatinum Cæsareum Splendidissimum, S.R.I. Nobilem, Academiæ Leopold. Carolinæ Imperialis Naturæ Curiosorum Præsidem Celeberrimum, Augustæ Vindelicorum Reip. Physicum, nec non Collegii ibidem Medici Seniorem & Vicarium perpetuum famigeratissimum, &c.

Patronum atque Fautorem suum longe colendissimum,

DISSERTATIO EPISTOLARIS,

quâ,

VIRO SUMMO

In Ephemerid. Naturæ Curiosorum A. III. Dec. II.

præeunte,

sinistram vulgi & ipsorum Litteratorum quorundam de Generatione Patellarum, ceu dicuntur, Iridis, der Regenbogen-Schüsselein, *earumque eximiis, ut falso jactantur, Virtutibus, opinionem & commenta examinat & confutat;*

EIDEMQVE

DE DIE NATALI LXXXIII.

auspicatissimo

submisse ac pie gratulatur

M. JO. ALEXANDER DOEDERLINUS,

Reg. Maj. Borussicæ Scient. Societ. Collega, nec non Lycéi Weissenburgensis in Noricis Rector.

Weissenburgi Noricorum,

Litteris CAROLI MEYERI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

315780

ILLUSTRIS ET MAGNIFICE VIR!

QUantum calamitatis ac damni animæ non minùs, ac corporis ſaluti falſa ac inanis de re aliqua perſuaſio & inde nata vana ſuperſtitio ac præjudicia inferant, nemiminem ſane fugere arbitror. Quid in ſacris deteſtanda iſta moliantur mala, non attinet h. l. dicere. In Foro Medico quot & quantas ſæpe ſtrages edant, rectius norunt, qui ſaluberrimæ medendi præſunt Arti. TE teſtem invoco, VIR SUMME!

At vero & in Numis reperiri, quo libidinem exſatiet nefas execrabile, admiratione non minus ac indignatione digniſſima res eſt. Ut ſuppeteret miſcendis inter populos nationesque commerciis inſtrumentum idoneum, vinculumque ſocietatis apprime commodum, Numos olim fuiſſe inventos, fabricatosque, quis, quæſo, eſt, qui neſciat, aut eat inficias? Nec, qui primarium dudum etiam comitatus eſt, uſum, quo rerum memoratu dignarum conſervatur memoria, improbo, aut damno. Sed ſusque deque habito illo numûm fine genuino omnium prudentum conſilio conſtituto, quis, quæſo, emunctæ naris homo ferre poſſit, ut citra omnem rationem, propriis ab ipſomet Summo Numine conſtitutis ſalutem corporis humani ſartam tectam ſervandi mediis neglectis, aut etiam, quod vel maxime impium, rejectis, ſuperſtitioſe ad numos decurrant, & ſalutis ſuæ præſidium inde

ſibi petant male feriati homines? At vero turpiter petunt, idque non noſtro modo perditiſſimo factitant ævo; ſed & olim, quod mireris, auſi ſunt.

Auctores nefandæ hujus impietatis Ethnici quin fuerint, adeoque ipſe Cacodæmon, ὁ μυριοτεχνίτης, nemo forte pius in dubium vocaverit. Quæ de Syrorum *Teraphim* ex fabulis Judæorum ad commenti amuletarii antiquitatem adſtruendam tradunt *Seldenus*, a) *Beyerus*, b) nec non *Hottingerus*, c) brevitatis ergo prætereo. d) Item, quæ de amuletis cœlo demiſſis, majoribus æque ac minoribus, diſputat *Paſchius*. e) Id unum hic dixiſſe ſufficiat, ipſis gentilibus ſanioribus diſplicuiſſe ejus, de quo loquimur, generis amuleta. Ecquem enim fugit ſub Imp. Anton. Baſſiano Caracalla damnatos fuiſſe, *qui remedia quartanis tertianisque collo annexa geſtarent?* f) Et ſub Conſtantio *pronunciatum capitis reum interiiſſe, ſi quis anile incantamentum adleniendum adhiberet dolorem, aut remedia quartanæ, vel doloris alterius, collo geſtaret*, novimus. g) Damnavit etiam Eccleſia primitiva artem amuletariam, Conc. Laodic. Canon. XXXVI. cavens, *ne, qui ſacrati ſunt, ac Clerici, magi ſint, vel incantatores, vel Mathematici, vel Aſtrologi; vel ea faciant, quæ dicuntur amuleta; quæ quidem ſunt ipſarum animarum vincula. Eos autem qui ferunt, ejici ex Eccleſia juſſimus.* h)

Sic abire juſſi, vel ipſis Paganis judicibus, in malam crucem, qui amuleta, qui numos Taliſmanicos, i) pararunt, amarunt, collo

a) De DIs Syror. Syntagm. I. c. II. p. m. 96. ſqq. b) Additam. ad Seldeni de DIs Syror. Syntagm. p. m. 190. ſqq. c) Apud *Paſchium* Invent. Nov. Antiqu. C. VI. p. 400. d) Conf. Lex. Hiſtor. Univ. Baſil. Tom. III. f. 580. e) l. c. f) Vid. *Æl. Spartianus*, in Vit. Caracallæ. Conf. Ill. *Pachelblij* Diſſ. de Superſtitionibus, an in foro Soli ſint punibiles? p. 10. g) *Ammian. Marcellinus*, Lib. XVI. c. XII. h) Conf. *Paſchius*, l. c. p. 398. i) Vid. *Seldenus*, l. c. p. 117. ſq. *Beyerus*, l. c. p. 205. ſq. Conf. *Cangius*, ſeu *du Freſne*, Gloſſar. Latinit. med. ad voc. Taliſman. Tom. III. fol. 1171. *Ott. Sperlingius*, Epiſtol. de Bracteat. p. 63. ſq.

lo geſtarunt, ut febres, ut morbos, ut dolores lenirent. Et ex cœtu ſuo ejici juſſit artium, in quas invehimur, vanarum ſtudioſos purior antiqua Eccleſia. Ecquid ergo nos toleramus, quod vel ipſi Gentiles tolerare turpe ſibi duxerunt, & purior Eccleſia anathemate vindicavit? Abſit ergo per omnem pietatem, ut turpi capti δεισιδαιμονίᾳ amuleta, ſi vel ipſo cœlo delapſa perhibeantur, k) admittamus, & non potius cane pejus & angue averſemur.

At amuleta cœlo delapſa, & primæ quidem Claſſis, l) creduntur & habentur Scutellæ illæ aureæ, quas perperam vulgus *Guttas*, ſeu *Guttulas Iridis, Patinas & Patellas Iridis, Spermata Solis & Iridis; Iridis* item *Flores, Guttas Apollinis, Aſteriſcos*, Ἀραστηρίας, *Schemeſchtakin, &c.* & in vernacula *Regenbogen-Schüſſelein, Himmel-rings-Schüſſelein, Sternen-Schoſſ, Meteoriſche Pfennige, die der Regenbogen aus ſeinem Schoos fallen laſſe*, m) *&c.* adpellare conſuevit; n) nominibus ſane ac titulis ſpecioſis ſatis & magnificis, ſed falſiſſimis, adeoque vaniſſimis. Quorum turpia omnino incunabula cum TE, Θεόφιν Μῆσορ ἀτάλαντε! nullus, rectius de ſcutellis noſtris ſentientium, exhibuerit dilucidius, clariusve, ipſiſſimis doctiſſimis verbis Tuis in iis deſcribendis uti mihi, quæſo, liceat. Ita vero ſcite non minus ac terſe de illis ſentis ac ſcribis: o) *Forte autem ſtellata illa in patinis illis potiſſimum occurrens figura rudioris ingenij, aut ruſticanæ proſapiæ, aliquem permoverat, ut, cum in reperta fortuito in agro patella talem conſpexiſſet, cœleſte aliquod corpus eſſe debere, hinc ſuperſtitioſe concluſerit; cumque Iridem à Deo in ſignum gratiæ conſtitutam ſciret, ac poſt imbrem, arcus cœleſtis ſubjectum, quo latitans prius ſub terra ſcutella à ſordibus adhærentibus repurgabatur, ut ſic nitore ſuo oculos perſtringeret, invenisſet, ex ipſa tum viſa Iride, præcipuè ſi unà dimi-*

 diatus

k) De amuletis cœlo delapſis vid. laudat. *Paſchius*, l. c. p. 395. l) Id. l. c. m) Vid. *Paullini* Philoſoph. Luſt-Stunden, P. II. p. 524. ſqq. n) Add. Cl. *Ringmacher.* Tr. Hiſtorico-Polit. Quæſt. II. p. 70. ſqq. & modo laudatus *Sperlingius*, l. c. p. 65. o) Ephemerid. laudatar. Dec. II. A. V. Obſerv. 203. p. 417.

diatus ille arcus stellulæ latus cingens comparuerit, descendisse sibi persuaserit. Hinc, quia humana mens nimia credulitate, rerum imprimis naturalium cognitione neglecta, seipsam toties decipit, talismodi effatum invenire fidem facile potuit.

At quid ais, VIR ILLUSTRIS! invenire potuisse fidem vulgi commentum? Invenit certe, & illo quidem maxime Seculo, quo omnis regnabat barbaries, inque rebus potissimum physicis infelix ac sterile cœcutiebat ævum. Somnia tum pro cœlestibus venditabantur veritatibus, & quæ in naturalibus æque ac historicis obscura, prodigiis, divinisque adscribebantur miraculis, omnipotentiæ divinæ, quæ ignorantiæ sæpe asylum esse cogebatur, τερατωδέσι. Quid? quod haud raro & ipsa hominum prægrandia molimina Satanæ operum veniebant nomine. p)

Rectius, quod obiter commemoro & laudo, nostrum sapit Seculum, quod, cum de omnibus dubitare docet, nihil intentatum relinquit, nihil inexploratum, nihil, quod non ex propriis, genuinis, & quoad ejus fieri potest, limpidis petat, hauriatque fontibus, & hypothesibus superstruat satis probabilibus; facessere jussis, ut in Historicis commentis *Berosi, Metasthenis, Manethonis*, &, quæ ejusdem farinæ sunt, *Annianis* & *Trithemianis* fabulis & quisquiliis: ita & in Physicis *Zaharellæ, Mendozæ, Suarezij, Fonsecæ, Conimbricensium*, aliorumque, Scholasticorum maxime, maleferiatorum, Magistris suis, innumeris, quod ajunt, parasangis ineptiorum, placitis ac theorematibus inanibus, futilibus, vanissimisque; in illorum contra locum substitutis numis, marmoribus, inscriptionibus, MSptis, Chronicis, Archivis, &c. & si qua alia, quæ particularia, quæ specialia & indubitata fideque digna antiquitatis suppeditant monumenta; in Physicis vero, ad intimioris naturæ recessus scrutandos, præter sedulam mentis penitius rei explorandæ deditæ & ab omnibus præjudiciis liberæ at-

p) Vid. Schediasma nostrum de Impp. Adriani & Probi Vallo & Muro Nordgav. vulgo *Teuffelsmauer* dicto, p. 31. sq. It. Lex. Histor. Univ. Basil. T. IV. f. 586.

attentionem, per instrumenta apprime idonea ac utilia, nec non certa experimenta, motus legibus probe observatis, accurata Phænomenorum causarumque exploratione, curiosis observationibus, &c. Quibus quantopere corporum Mechanismus, probe exploratus, nec non scite excogitatæ, veroque quam simillimæ Hypotheses, &c. velificentur, explicare instituti nostri h.l. non est.

Quæ de Guttularum, quas dicunt, Iridis, earumque generatione & origine qui scripserunt, si attendissent, & non testibus auritis magis, quam oculatis, iisque fide dignis, credidissent, minus sane incauti, eoque nomine risu digni, quæ ex plebeculæ falsa traditione hausere, captassent, acceptassent & commentis suis incrustassent. Haud sane errat vulgus, & rustica quidem gens, quæ totos dies colendis agris intenta, adeoque vel isto nomine ut reperiat in agris patellas istas aureas sola fere digna, cum Irides conspiciuntur, reperiri maxime plebeculæ hasce delicias persuasa; at elenchum causæ non causæ minime attendit: Imbribus sane, quos Irides utplurimum comitantur, aut sequuntur, ut lutulenti lapides, ita & luto tecta, inque superficie terræ latitantia metalla, coruscantia maxime, nitori suo redduntur, & conspicua fiunt; quemadmodum tempore alio nullo non clavi modo ferrei, sed cujuscunque generis numi in plateis, viis publicis, imbribus intermissis, plures visuntur, colliguntur que. At vero & eodem tempore in Iride patellas aureas à Sole generari, minime sequitur; & non minus falsum est, ac si quis statuat, tempestate pluviosa, clavos, de quibus dixi, ferreos, numulosque, conflari.

Sed & hæc parum pensi habentes Philosophi & Astrologi superiorum Seculorum, approbata semel vulgari de Generatione Patellarum nostrarum sententia, mirum quantum, ut probabiles rationes physicas traderent, laborarunt, desudaruntque. At vero ut unum absurdum parturit quamplurima, & veritate cum semel aberrat animus, nunc hoc, nunc aliud sibi fingit, &, ubi acquiescat tuto, non habet: ita πρῶτον ψεῦδος, Iridibus ac Soli deberi ἀρασκηλίας, quos dicunt, non potuit non ad invia deducere & κρησφύγετα, quod ajunt, incertissima, inepte philosophantes.

Quæ

Quæ famosus ille aurei velleris jactator, q) *Theophrastus Paracelsus*, r) & cum eo non incelebris quondam Basileensium Astrologus & Alchymista, *Leonh. Thurneisserus*, de Patellis nostris, earumque generatione sentiant, haud obscure ex sequentibus posterioris verbis colligere est. Ita vero ille: s) *Dieses sind guldene gantz dick formirte und vvie ein Schüsselein holechte Groschen, oder Pfennige. Sie vverden Guttæ Apollinis (Solis) und spermata Solis und Iridis genennet. Sollen von Krafft der Sonnen durch VVürckung influentischer natürlicher und elementischer Krafft, vvann Sol die Regenbogen bescheinet, in puncto der Zusammenkunfft der radiorum Solis & Iridis gehling erschaffen und also formiret vverden, und hernacher herab fallen. Sie vverden auch Schemeschtakin von der Sonnen und einer heimlichen spiritualischen præparation also benahmset.* t)

Ab utroque parum discedit *Til. Frisius*, u) *ex aliorum, & quidem peritorum hominum relatione sibi constare*, perhibens, *è cœlo aërio aliquando, Iride valde lucida ac splendorem suum in guttas pluviæ à se jactante, eas elapsas: nec improbabile sibi videri, ceu meteorum forsan, aut prodigium quoddam, in ffabili Dei virtute mirabiliter operante, tam in aëre portentosis pluviis lapidum, sanguinis, frumenti, quam in terra & metallis, auro, argento, &c. prout Sol etiam suam imaginem, faciem scil flammis circumdatam lapidibus suo fulgore impressisse observatus sit: ita non minus etiam nummos illos pluentes miraculum quoddam existere potuisse.*

Digna etiam, quæ notentur *Drexelii* x) verba: *Iris, ut ferunt, cum jam semicirculum suum expandit, aurum spargit, & plerumque, ut ajunt, in aquas. Hoc Iridis donum auream scutel-*

q) Hoc titulo Philosophum vanissimum & Theologum nequissimum mactat Cl. *Geretus*, in, de Nævis Medicorum Theologicis, Dissert. p. 6. 33. sq. r) Lib. IV. de Impress. Cœlestib. c. XV. s) In Onomast. p. m. 44. t) Conf. *Sperlingius* l. c. p. 64. It. *Tentzel.* Dial. Menstr. A. 1689. p. 900. u) Specul. monetar. Lib. I. c. XXII. Conf. *Ringmacher.* l. c. p. 70. x) P. II. de Christo moriente c. VII. §. 5.

tellam nominant. Der Regenbogen verzettelt ein guldenes Schüſſelein, quæ formam habet auri ſcutellati concavi, ſive repandi, craſſioris nummi, die Schüſſeler Pfennig, &c. z) Celeberrimus *Sturmius* ſuæ ætatis vulgi, de aureis, quas dicimus, Patellis, ſententiam paucis hiſce exponit verbis: a) *Hoc interim adhuc monemus, credi à vulgo, illas patellas reperiri, ubi Iris ſe potet, hoc eſt, alterutrum crus in rivulum, aut lacunam aliquam demiſerit, ſi quis* (quod addunt alii) *celeri pede aſſequatur illum locum, antequam Iris inde diſceſſerit* &c.

Quibus affinia, quæ ἰσορικώτατος noſter *Paullini* b) refert: *Der Freyherr von Seprode, &c. hat D. Lentilio, Oettingiſchen Archiatro und Phyſico zu Nördlingen, unterſchiedliche Regenbogen-Schüſſelein gevviesen, und anbey geſagt, der Hirt hätte ſie, vvo der Regenbogen ſich tränckt, (vvie die Francken reden) und ſeine Bein von einander thut, dreymahl beym Schloſſ Erckebrechtshauſen, in Franckenland gefunden, &c.*

Quibus vulgi ſomniis & fabulis frigidam ſuffundunt, qui ſemen quoddam auri in meteoris latere, nec non panſpermiam in utero aërio quieſcere autumant, aut ſimilibus phraſibus chryſogoniæ aëriæ velificantur. Quibus cum faciunt, qui Patellas noſtras partus pluviæ à Sole impregnatæ ſalutant, c) ſpecioſisque à Græcis non minus, d) ac Ebræis, Rabbinisque, petitis titulis e) mactant.

Negas adeo, inquiunt, ab Iride, aut potius in & cum Iride, generari aureas patellas, cum tot teſtes adſint oculati pariter ac auriti, iique non contemnendi? Nego ſane & pernego, & mecum quidem omnes, qui narium ſunt emunctiorum. Πρῶτον ψεῦδος paulo ante ob oculos poſuimus. Deceptus eſt *Paracelſus*, deceptus eſt

z) *Tentzel.* l. c. 902. *a*) Diſſert. de Iride, p. 28. *b*) Philoſoph. Luſt-Stunden, P. II. p. 523. ſqq. *c*) Apud *Ringmacher.* l. c. p. 73. *d*) Quo ſpectat vox Ἀρασκήλιος, à Gr. παρασκευὴ & ἥλιος deducta, utpote quos Sol in aëre ipſis præparat, & ſpiritu peculiari formatos in terram decidere facit. It. Σπέρμα Solis, &c. *e*) Schemeſchtakin à שמש *Sol*, & תקן *ordinari, dirigi*, dicuntur.

est *Thurneisserus*, rusticanæ plebis & rudioris ingenii hominibus scutellas aureas in agris, imbre & Iride præviis, splendentes, repertasque ostentantibus, exhibentibusque, credulas aures commodantes. Deceptus testis auritus *Frisius*, decepti denique, quotquot eorum pressere vestigia. Ecquid enim Iris valeat, generetve, *cum ipsa substantia non sit, sed aliquid tantum apparens, immo revera nihil & non-Ens?* teste celeberrimo *Menzelio.* f)

At Iris, objiciunt, signum gratiæ est. Est sane, id quod Theologi cumprimis non nesciunt. Sed aurum cum Iride, aut in Iride, non promisit Conditor ter optimus, ter maximus. Quod si vero, instant, ab Iride & in Iride non generentur Patellæ, in nubis forte fœcundæ gremio eas gigni, naturamque & spiritum peculiarem à Sole imprægnante, matreque nube, ipsas sortiri, & mox in terram, ubi alterutrum crus se demiserit, excuti, haud plane ἄτοπον fuerit statuere?

Σοφὰ φάρμακα! Iris in certum definitumque non cadit locum: mutat cum Sole pariter ac nube, nec non oculo spectantis, sedem, & tandem, ut abeuntis in speculo facies, evanescit. Id quod & acutissimus ille Gallus, *Ant. le Grand*, g) non ignoravit, interprete laudato *Paullini*, h) hac de re non inscite commentans: *Der Regenbogen scheinet nicht allen zugleich und einerley, sondern einem so, dem andern so. Soviel Augen auff ihn gerichtet sind, soviel Regenbogen hat man. Ein jeder siehet seinen eigenen, und einer auff einmahl mehrere. Wer das Haupt empor hält, dem vvird der Regenhogen auch empor gehoben; vver es aber nieder druckt, dem vvird er auch nieder gedruckt. Stehestu, so steht er auch; bevvegstu dich, so thut ers auch. Er vvird mit dir herumspazieren, tantzen und ruhen &c.*

Quo supposito rectissime sane in laudatis scholiis Tuis, i) VIR MAGNIFICE! concludis, & TEcum *Sturmius* noster, ὁ μακαρίτης, k) *quia*

f) In laudat. Ephemer. l. c. g) Histor. Natur. P. VI. Art. 9. h) l. c. p. 525. i) Ad Observ. *Menzelii*, Ephemerid. l. c. Conf. *Tentzel.* l. c. p. 905. k) l. c. p. 93.

quia, Iris, ſcribens, *non omnibus apparet, ſed ſua cuique videtur, indeque tot in nube picti conſpicuntur arcus, quot oculi ſunt, qui verſus eam dirigantur: hoc ſane pacto, ob innumerum fere Iridum ſuccedentium numerum, plures, immo innumeræ, tales guttulæ aureæ forent: quod vero contra experientiam. Immo cum ex guttulis pluvialibus ſtillantibus à radiis ſolaribus illuſtratis producatur*, (Iris) *ſingulis etiam quaſi momentis novam etiam oculis Iridem apparere neceſſe eſt, ſuccedentibus ſubinde in delapſarum locum novis aliis ex nube, in pluvialia illa ſpecula ſe reſolvente.*

At vero panſpermiam corporum, adeoque ſemen quoddam auri, in utero quieſcere aërio non negat celeberrimus *Lentilius* l) Res dubia eſt. Et finge,, certam eſſe, unde, quæſo, Patellarum formam, certum definitumque unius, dimidiæ, duarumve drachmarum pondus, notasque diverſiſſimas &c. deduxeris? m) Id quod & illis oppono, qui ex aurifodinis exhalationes aureas, nubes imprægnantes, jactant & urgent. Quas exhalationes equidem moroſe non negaverim, ut qui inficias ire haud auſim, Solem materias varias & ſemina, cum rore maxime, attrahere ſolere, è quibus herbæ, animalia, lapides, &c. generentur; idque illo maxime tempore, cum Iris apparet, quo ſol magna vi, aquoſa & vaporoſa attrahit, nubesque ſummopere ingravidatæ & craſſæ ſunt. Ponamus vero & ſupponamus, non ſcite magis ac pulcre, quam vere iſta dici: ad ſcutellas tamen noſtras aureas in aëre formandas nondum ea ſufficiunt. Quomodo enim, quæſo, quod & Tu, VIR ἀγχινόϊστατε! alicubi urges, quove motore, illæ in altum evectæ exhalationes, longe diſperſæ illæ atomi, uniantur, concreſcant? &c. Imber potius aureus, qualem olim ſuper Rhodios, Minerva nata, *Homero* & *Claudiano* teſtibus, n) nec non

l) In laudat. Ephemerid. Conf. *Ringmach.* l. c. p. 73. *m*) *Sturmius* l. c. p. 93. *n*) Lib. III. Laudum Stiliconis. Conf. *Sperlingius*, l. c. p. 68. ſq. It. Comment. noſtra de Numis German. Bracteat. Weiſſenb. Noric. inque agris vicinis haud ita pridem repertis, §. XXX.

Imp. Matthiæ tempore, o) excidiſſe ajunt, vi dictorum prorumperet.

Nec eſt, quod urgeant Patellarum Iridis, earumque generationis cœleſtis, Patroni particularum aurearum in gremio nubis liquationem, qualis in ſacculis fulmine percuſſorum pecuniæ fuſio fieri ſolet; &, qualis ſulphurearum, nitroſarumque particularum in fulmine obſervatur, conſtipationem: ſi quidem & hac conceſſa liquatione non minus ac conſtipatione, nihil aliud, niſi informis auri naſceretur maſſa, & ſine certis figuris certoque pondere corpus.

Sed inſtat *Friſius:* ineffabili Dei virtute, tam in aëre, quam in terra mirabiliter operante ſcutellas, de quarum origine diſputamus, aureas cum Iride generari poſſe & excuti. In cauſas, easque naturales, inquirit Phyſicus, non quid DEUS, qui omnia poteſt, poſſit; nec fingit, aut ſupponit, ſi qua res altioris indaginis eſt, aut videatur, rationi contraria: ſupponit vero, quibus tuto, certiora dum edoceatur, in notabilioribus rerum phænomenis acquieſcamus, Hypotheſes ſanæ rationi convenientes. Pluvias quod attinet mineralium, animalium, lapidum, &c. portentoſas, quas ſuggerit *Friſius*, lapidibus item natura formante impreſſas figuras; habent, dummodo, quæ tradantur, ficta, ut pleraque, non ſint, quod reſpondeant melioris notæ Phyſici; & reſpondit prolixe ſatis ὁ φυσικώτατος *Paullini*, p) alij. q)

Sed & numos, eosque cuſos, pluiſſe ſæpe, annales temporum tradunt. r) Fictas eſſe narratiunculas de pluviis numûm tantum non omnes vix dubitaverim. Largimur tamen & ipſos è loco aliquo, in quo neglecti olim jacuerint, s) ventorum vehementia,

p) Philoſ. Luſtbarkeit. P. III. p. 899. de Lapidibus certis figuris inſignitis (quos inter notabilis maxime ſilex grandiuſcula, 126. numis antiquis prægnans,) Conf. *Sperlingii* noſtri Epiſtol. ad Collector. Nov. Lit. Sept. A. 1700. p. 243. ſq. It. Cl. *Stædleri* Coment. in Act. Erud. Franc. T. I. P. IX. p. 610. ſqq. *q*) Laudat. *Sperling.* Epiſt. de Num. Bract. p. 69. *Ringmach.* l. c. *r*) *Sperling.* l. c. *s*) *Menzel*, ap. Ringm. p. 73.

tial, qualis, ubi cœlum, nube densa in pluviam se resolvente, turget, haud infrequens est, in altum posse deferri, inque alium deinde locum pondere suo delabi. Quamvis & hoc liberaliter dum admittimus, verendum sit, ne gravissima sua censura, aut invectiva potius, nos feriat Ill. Dn. *de Ludevvig*, t) *Man muss sich bevvundern*, inquiens, *dass vveil man heut zu Tag vvohl vveiss, dass sich in den Wolcken keine Müntzmeister auffhalten, man dennoch sagen vvill, die Sonne zöge solche so genannte Regenbogen-Schüsselein, vvelche eine Eyer-runde haben, und in der Grose, als ietzo die gemeine Pfennige eingetieffet sind, auff. Dann dass es zuvveilen Vögel, Rauppen, oder auch anders leuchtes Gezeug geregnet; solches ist entvveder dem Wind, oder aber der Lufft zuzuschreiben, in vvelchen dergleichen Geschmeis entvveder gezeuget vvorden; oder von einer Windsbraut in die Höhe geführet vverden mag. Welches aber zu den guldenen Schüssel-Pfennigen sich nicht erstrecket: dann vveil das Gold keine Steiffe, vvie das Silber, bey sich hat, so muste man die guldene Bracteatos desto dicker, und um dessvillen auch desto kleiner machen. Bey vvelcher Beschaffenheit selbige der Sonnen Zug, oder Sonnen Stoss, oder auch die Winde, vvohl auff der Erden liegen lassen sollen: so vvenig man sich in einer Festung, für vvelcher viel Kugel verschossen vvorden, zu befahren hat, dass selbige durch die Sonne, oder einen starcken Wind in die Lufft gezogen, und den Leuten auff die Köpffe regnen möchten.*

Quod si denique Irides in universo terrarum orbe conspiciuntur, qui fit, quæso, ut isti, quos vulgus fingit, Iridis partus, aureæ patellæ, nonnisi in Germania, & in terris quidem maxime, quas Danubius alluit, reperiantur; veteresque rerum naturalium Scriptores, Græci æque ac Latini, quos inter Aristoteles & Plinius agmen ducunt, nullam plane earum mentionem faciant? u) Qui fit, ut non eadem omnibus auri bonitas, &, quod sæpius diximus, non idem pondus; sculpturæ item ac figuræ, si quas habent, non

 omnes

t) Introduct. in rem nummar. med. ævi, c. IV. §. I. Add. *Moseri* Animadv. p. 4. u) Conf. *Sturmii* Differt. de Iride, p. 93.

omnes enim habent, diversissimæ? Somnia adeo sunt & Fabulæ, quæ vulgus de Scutellarum aurearum origine fingit, tradit, credit.

Dissipata adeo & explosa vulgi, & qui cum eo faciunt, falsa de generatione Patellarum aurearum opinione & sententia, latissimus jam nunc se aperiret campus in veram earum inquirendi originem; aliis, cum celeberrimo *Menzelio*, x) ornamentis monilibusque Hominum non minus, quam Equorum eas adscribentibus; aliis, iisque tantum non omnibus, locum inter numos antiquos illis tribuentibus, & Byzantinis partim, partim Siculis, Vandalisque; Germanis aliis; & TEcum denique, VIR SUMME! plerisque omnibus, Gothis, aut gentibus Septentrionalibus, eas vindicantibus: dicendi item de materia earum, quæ non nisi aurea, *Frisio* etiam argenteos jactante, y) diversæ tamen bonitatis: disputandi præterea de Figuris quarundam, iisque admodum diversis: differendi denique de ætate ipsarum, deque pondere, diverso quidem, sed determinato; & si qua alia, quæ ad Historiam hujus numûm antiquissimorum generis faciant. Quæ vero omnia, cum pagellæ istæ nostræ non capiant, alio loco & tempore, luculenter satis & fuse enarrare & declarare constituimus.

Ad institutum adeo revertimur, utq; hactenus vulgi, & qui vulgaria sapiunt, falsam de generatione Patellarum, quas vocant, Iridis in gremio aërio opinionem, & vanissima, quibus sententiam suam incrustare conantur, dogmata in scenam produximus: ita & haud melioris fidei de *Virtutibus*, quas jactant, Patellarum istarum insulsa eorum commenta enarrare & perstringere operæ pretium arbitror.

Somniant autem, (ut, quæ in *Moralibus* Patellis aureis tribuuntur, Virtutes admirabiles primum commemoremus,) quid? quod firmiter sibi persuadent, *nihil non prospere hac in vita ei cessurum*, cui, ut Patellam Iridis reperiat, felici sidere contingat. Et id sibi, velut non leve quidpiam, provectæ jam ætatis fœminam rusti-

x) *Tentzel.* l. c. p. 906. y) Apud *Ringmacher.* l. c. p. 70. Conf. laudat. Ephemerid. Dec. II. A. V. Observ. 159.

rusticam lecto decumbentem, in exponendo vitæ cursu, ultro & sponte retulisse narrat Cl. *Ringmacher.* z) *in juventute*, prædicantem, *tam felicem aliquando semet à Deo optasse, ut talem Iridis Guttulam* (*Himmelsrings-Schüsselein* vocabat,) *inveniret: quod firmiter persuasa fuerit, nihil non prospere sibi posthæc in vita, divina benedictione, cessurum; cujus etiam voti sui se brevi post compotem factam*, adjecerat. Et quid aliunde exempla peto, ipse, cum tale quid expertus fuerim, viderimq; ? Annus est, quo fœmina apud nos mercenaria cum aliis in agris metens talismodi scutellam repererat. Quo comperto, conveni fœminam, utque mihi conspiciendam, emendamque præberet, monui. Ostendit illa numum, vendere noluit, *ne cum eo felicitatem suam divenderet*, reverita.

Nec minora sibi pollicentur, quibus eodem superstitionis œstro percitis hæreditate aut emtione patellam Iridis obtinendi & possidendi copia facta est. Exemplum refert laudatus modo *Ringmacherus* a) cujusdam, quem norat, opificis, qui ejus generis numulum possidens, tanti dum viveret, æstimabat, ut ne 40. quidem & 50. fl. offerenti divendere vellet, propterea, quod *omnem una benedictionem cum illo ex ædibus suis migraturam* sibi persuaderet. Et Cl. *Paullini* b) rusticum Suevum producit, repertam scutellam sex uncialibus æstimantem. Ipse rusticum novi in vicino quodam pago agentem, qui mirum quantum tali in arca recondita patella exultabat, & ne præmium quidem pollicenti ostendebat; tantum aberat, ut magno etiam oblato pretio venderet, eadem, qua alii, falsa mentis persuasione deceptus. Civem quoque inter nostrates diligo, qui, quem pignoris loco aliquando nactus est numum patellarium duarum drachmarum, signo vero plane nullo conspicuum, tam sancte colit & asservat, ut solum gazæ loco habeat, nullo pretio commutandum.

Et hac quidem vana mentis de felicitate humana beneficio patellarum Iridis sarta tectaque servanda persuasione, minusque pia superstitione fit, ut non nisi in extrema paupertate constitutis, aut

z) l. c. 78. a) l. c. p. 79. b) Philosoph. Lust-Stunden, P. II. p. 523.

mortuis illi eripiantur, hæredibusque cedant: Id quod & celeberrimum *Sturmium* notasse memini, *similis est*, scribentem, c) *& magis etiam fabulosus alius effectus*, (Iridis) *quo vulgo ea parte terræ, quam iris suis cruribus attingit auream patellam deponi credunt, cujusmodi circumferuntur plurimæ, & hæreditario quodam jure à familiis ad familias transferurtur.*

Fabulæ! Patellæ Iridis inventores suos & possessores felices, fortunatosque si redderent, & conservarent, vilissimæ sane miserrimæque conditionis homines, pastores, opiliones, messores, quidurum urgent terræ opus, & utplurimum patellas aureas reperiunt, omnium feliciſſimi beatissimi forent deprædicandi. Quid in re consimili, de numis imagine ficti *Equitis S. Georgii* draconem perimentis, conspicuis, multi inaniter statuant, lippis tonsoribusque notum est. Numorum *S. Helenæ* quas non virtutes fabulosa jactavit antiquitas, & hodienum multi jactant? d) Et de *Sigillo*, quod vocant, *Solis* in lamina aurea, die dominica, luna signum leonis primo gradu intrante, sculpto seu signato, fingunt, gestantes *illud reddere gloriosos, amabiles, gratos, potentes in omnibus operibus.* e) Somnia! Fabulæ! ineptiæ & deliramenta otiosorum hominum! Nihil tale admittit sana ratio, Philosophia purior: exsecratur Christiana pietas.

In *re Medica* quem usum habeant *Patellæ Iridis*, aut potius habere falso jactantur, generatim ex ore vulgi commemorat Cl. *Paullini*, f) *Dass aber etliche*, scribens, *dergleichen Schüsselgen vvider allerley Kranckheit rühmen, &c.* Ex Scholiis autem Tuis, VIR SUMME! speciatim comperimus. g) *Patellam Iridis*, ajunt, *potui febricantium injectam propulsando morbo strenuam conferre operam.* Equidem quid prosit febricantibus, quidve obsit, rectius norunt, quibus corporis humani salus, quam quibus Scholæ curæ sunt. At vero ratio, eaque sana, docet, cum Patellæ illæ nihil aliud sint, quam numismata veterum aurea, non magis eas corpori prodesse

c) Diss. laudat. p. 28. d) Conf. *du Fresne*, de infer. ævi Numismat. §. LXIX. Add. *Ringmach.* l. c. p. 76. e) Id. p. 77. Conf. *Pasch.* l. c. f) l. c. p. 525. g) In laudat. Ephemerid.

deſſe ægrotanti, quam alii proſint commerciis deſtinati numi. Rident, qui felicioris ſunt cerebri, cùm, auctore & indignante *Chryſoſtomo*, h) audiunt, *ex veteribus Chriſtianis quosdam, ſi cui male eſſet, Alexandri Macedonis numos capiti aut pedi ægrotantis alligando, medicinam feciſſe*, &c. Quidnî & nos rideamus & derideamus, qui, neſcio quibus veterum Gothorum numis, eadem ſane ratione, febribus medendi virtutem adſcribunt? Abſit, gentilium numis tribuamus, quod ne Chriſtianorum quidem, iisque ſacris, i) adſcribere audemus numiſmatibus; immo ne ipſis quidem Sanctis, eorumque reliquiis, k) quarum virtute graviſſimi ſæpe morbi propulſati perhibentur. *Partui præteræ accelerando conferre operam potui injectas patellas Iridis aureas* ajunt. Ridet ineptias & ſtomachatur plus ſimplici vice laudatus *Paullini*, l) *daſs etliche dergleichen Schüſſelgen*, inquiens, *rühmen, und die greiſende Weibergen daraus trincken laſſen, iſt Thorheit und Aberglauben.* Ita & puerperas ditiores ex poculis aureis apud nos valetudinis ergo potare, frequentiſſime cernimus. Sed & *remedium eſſe affirmant Iridis ſcutellas pro conſervando viſu laborantibus: idque exemplo puellæ talip atella oculis curatæ probant.* m) *Subeſt*, reſpondet Cl. *Ringmacher.* n) *haud dubie fallacia*, ut vocant, *non cauſæ, ut cauſæ, vehemensque imaginatio.* Eadem adeo confidentia rejicitur, qua adſtruitur, quod ſine ratione, quod falſo, adſtruitur.

At vero ſuppetere ſibi rationes autumant, qui commemoratas Patellarum Iridis virtutes jactant. Urgent miram & tantum mira-

h) Homil. XXI. ad Pop. Antioch. *i*) S. Helenæ puta paulo ante commemoratis, Numiſmatibus, it. Eccleſiæ Pontificiæ ſacris, de quibus vid. *Schmidius* Lex. Eccl. P. II. p. 148. Quibus Bracteatos addo, Pfaffen-Pfennige, Heiligen-Pfennigé, vulgo adpellatos. *k*) Quid Sanctis, eorumque reliquiis in curandis corporis morbis tribuant Pontificii, *Garmanus* Diſſ. de Miraculis, & ex eo ſcite docet Cl. *Geretus*, l. c. p. 3. 4. Hinc non inepte Cl. *Pons*, Medicus quondam Lovanienſis, & ipſe Pontificius, dicere ſolebat: *ſe ejusmodi Sanctorum non eſſe amicum, qui ſeſe ſuæ immiſceant arti* &c. *l*) l. c. p. 125. *m*) *Ringmacher.* l. c. p. 78. *n*) l. c. p. 79.

raculosam à *Thurneissero* supra descriptam in gremio aërio earum generationem; urgent mirabiles auri virtutes; urgent denique impressa signa, figuras & characteres; experientiam denique laudant, & deprædicant.

Σοφὰ φάρμακα! Generationem patellarum quod attinet cœlestem, quâ spiritum peculiarem nactæ perhibentur, &c. falsissimis, quod pluribus demonstratum ivimus, ea nititur principiis, fundamentisque omnino ficulneis, quibus corruentibus, & omne id, quod superstruitur, non potest non corruere. *Ex falsis præmissis nonnisi falsa infertur conclusio; & quale fundamentum tale & ædificium.*

Sed auri virtutes plane eximiæ & divinæ sunt, ajunt. *Cardiacum* aurum. o) Aurum potabile, s. Magisterium auri, & Balsamum Solis, Panacéa in morbis omnibus. p) Panacéa Solaris, quam adpellant, duplicata *Cnæfelii* in morbis Chronicis, febri cumprimis, mira præstat. q) Cumque crocus metallorum, r) Martis cumprimis, s) antifebrile plane insigne sit, quid de croco Solis, s. auri, non speres? Hinc magnifica illa auri nomina & tituli: *Rex metallorum*, *Sol*, *Filius Solis*, *lapis benedictus*, *lumen majus*, &c. t) Equidem non nego omnino, & denego auro in re medica virtutes suas, quamvis in dubium vocent alii, u) alii negent, x) pernegent alii. y) Id

o) Ita quidam sentiunt apud *Jungkenium*, Corp. Pharmac. Chym. Med. Sect. III. c. V. p. 230. Conf. *Sam. Dale*, Pharmacolog. p. 53. *p)* Ita & sentit & docet *Christoph. Hellvvig.* Lex. Phys. Med. p. 285. sq. *q)* Teste Ph. *Grünlingio*, Med. Pract. Lib. V. p. 489. *s)* Vid. *Richteri* Unterricht von der Gesundh. p. 720. *t)* Conf. J. J. *Marci* Material-Cammer, p. 152. *u)* Vid. laudat. *Dale*, l. c. *x)* Hannemannus ex. gr. Conf. Nov. Lit. Germ. A. 1709. p. 174. *y)* Quos inter Auctor der curieusen Speculationen, p. 132. in hæc inter alia erumpit verba: *Ich gebe vor alle Medicamenten, die aus Gold und Silber bestehen*, s.v. *nicht einen Floh-Balg.* Cui & aliis Auctoris assertis subscribit celeberrimus *Kanoldus*, Fautor meus singulariter colendus, p. 120. Supplem. II. der curieusen Anmerckungen von Natur, &c. *Hæc omnia hujus Auctoris effata certissime vera sunt.* Conf. Annal. Wratiss. XXXV. Versuch p. 245. sq. Add. C. *Hofmanni* Orat. de Barbar. imminente, celeberr. J. *Negelini* Ulyssi litter. subnexæ p. 256. sqq.

Id vero vel maxime nego, nisi, (ut volunt) purgetur aurum, nisi calcinetur, nisi extrahatur, nisi sublimetur, nisi solificetur, nisi mercurificetur, &c. z) & ore denique sumatur, a) ullum auri usum (modo ne abusus sit!) esse in re medica. Ecquid proinde in arculis, in sacculis, inque poculis aureæ prosint scutellæ?

Et quid tandem in divina, sanctissimaque medendi arte præstent suspecti Characteres & vanissima signa & figuræ? Agyrtarum, præstigiatorum, impostorum, magorum, ipsorum denique dæmonum est glaucoma objicere infelicissimorum ægrotantium oculis, animisque. Cane pejus & angue nullo non tempore pii æque Medici, ac Clinici, fugerunt Talismata, fugerunt amuleta; sigilla fugerunt, & quæ quomodocunque ad medicinam faciant, quam diximus, amuletariam; qua si quid forte aliquando præstitum fuerit, artibus potius Satanicis & præstigiis, quam, quæ visuntur, signis & elementis, adscribendum est.

Experientia denique, ad quam provocant, dubia est. Quæ paulo ante de Elencho causæ non causæ diximus, repetere heic nolo. Superstitionis præterea, *quæ etiam, cum prodest, in cultum diaboli cedit*, b) magna vis est, non nego, imo major sæpe, quam credi potest, aut etiam solet. De imaginatione ex falsa persuasione, indeque nata firmissima sæpe ægrotantium confidentia, quæ in re medica multum admodum præstat, tacere jubet brevitatis studium.

At vero finio tandem aliquando, & verbis quidem piissimi *Sennerti*, *Is DEUM*, pulcrè scribentis, *honorat, qui DEI opera, qualia ab ipso condita sunt, contemplatur, admiratur & celebrat; in DEUM vero injurius est & impius, qui rebus vires, quas nec à DEO, nec ab arte acceperunt, tribuit.* c) Et hanc etiam Tuam esse mentem, ὦ πολλῶν ἀντάξιε ἄλλων! semperque nonnisi sanam piamque TE sectatum Medicinam, vel ex eo colligo, quod in laudatis sæpius Scholiis Tuis vana de generatione in Iride Patellarum aurearum explosa opinione, & stabilita, quæ Eruditorum tantum non omnium confirmatur calculo, veriori de earum origine sententia, nulla non de virtutibus earum frivola ac sinistra commenta haud minus laudabili impugnasti dexteritate.

z) Vid. laudat. *Hellvvig.* l. c. p. 266. a) Conf. *Jungken.* l. c. b) Ill. *Pachelbl.* l. c. p. 7. c) Lib. V. Prax. Medic. P. IV. c. 24.

Et ista quidem præclara pietate Tua, eique juncta (ut de aliis summis Virtutibus Tuis, ne quid auribus dare videar, h. l. taceam,) mira Prudentia, qua plurimis superior, nemini vero secundus existis, dudum meritus es, ut non modo Summi orbis Principes maximo TE complectantur favore, summosque TIBI ex merito decernant, habeantque honores: sed & ipsum Summum Numen nulla non optimorum Bonorum affluentia indies TE mactet largissime, senio cumprimis, quo dignus es, vegeto & ex omni parte longe felicissimo. Sive enim Parentum in nos derivatæ sanitati ac vigori vivacitatem adscribamus & longævitatem; sive providæ educationi & congruæ victitandi rationi, laudabilique temperantiæ ac locorum salubritati; sive denique optimis φαρμάκοις, Θεῶν χερσὶ: *d*) DEI tamen ter optimi munus est & donum vivax & vegeta senectus, canitiesque læta & placida. Haud postremum, quod non ignoras, divine SENEX! locum inter Medicos, eosque celebratissimos simul & μακροβίους, cum laude occupant *Bauhini, Cortesii, Fabricii ab Aquapendente, Febrii, Gockelii, Harvæi, Herlicii, Hoffmanni, Jungermanni, Langii, Menzelii, Petreji, Regii, Reinesii, Schrœteri*, alii, omnes Lumina in foro Medico longe splendidissima. Eos omnes Meritorum magnitudine & Nominis claritate ut æquas partim, partim & superas: ita & omnes ætate vicisti, & ætate quidem gloria perenni dignissima.

Ecquis enim inter prælustris Nominis Tui cultores est, quem fugiat, eo ipso, qui in Fastis Mense Septembri B. Faustæ, omine certe faustissimo, sacer est, die auspicatissimo, TE *Natalem* LXXXIII. cœlo favente, & universo Orbe litterato cum Ill. Academia Leopold. Carolina Imperiali Naturæ Curiosorum, & Augustanis Tuis, applaudente, eo animi corporisque vigore celebrare, ut votis Tuis, & quotquot TE colunt, omnino nihil deesse videatur? Et quid est, quod dubitemus, ominamur potius, & prædicimus, fore, ut in optatissima valetudine rebus Tuis feliciter gerendis quam diutissime adhuc supersis incolumis, admirandum inter Medicos *Longævitatis* exemplum præbiturus! Et sic, quod omnes ὁλοψύχως optamus & precamur, vivere perge & multis prodesse VIR SUMME! atque *Sebizios, Finchios, Gallos*, (si quidem, teste *Seneca* e) *ne ea quidem ætas homini extrema est*,) & vel ipsum Artis Tuæ celebratissimæ Magistrum summum, *Hippocratem*, aut, si quidem placeat, divinum *Galenum* Tuum, annis superans quamplurimos alios Natales lætissimos, bonis omnibus acclamantibus, feliciter celebra. Salve, vale, fave. Dab. ex Museo ad d. VI. Cal. Sept. A. MDCCXXIIX.

d) Conf. Excellentiss. J. J. *Bajeri* Diss. Epistol. de Longævitate Medicorum. *e*) Epistol. 92.